Szkoły 1672. br

Scholy

ORATIO

PRO INSTAURATIONE STUDIORUM

IN

SCHOLIS VARSAVIENSIBUS

SCHOLARUM PIARUM

HABITA

a Francisco Dmochowski Proffessore Eloquentiæ.

A. D. MDCCLXXXIX.





SI ita a natura formati imbutique essemus, ut eam ipsam intueri ac perspicere, atque illa optima duce et magistra, cursum vitæ conficere possemus; nihil profecto opus esset, ut tot incommodis vigiliisque, tot diu noctuque suscipiendis laboribus, doctrinam et scientiam quæreremus. Nunc, cum parvulos nobis dedit igniculos, qui ad rerum plurimarum cognitionem comparandam; non satis per se idonei sint; ea nobis omnibus suscipienda eſt persuaſio, ut quanto minus naturæ viribus valemus, tanto magis imbecillitatem noſtram labore et patientia suppleamus. Talis eſt noſtra conditio, talis ratio omnium ſtudiorum noſtrorum,

ut nihil sine labore concipere, nihil consequi, nihil comparare possimus.

Equidem fateor, plerosque a natura, simul atque in lucem prodeunt, summa ad omnes artes et scientias facultate dotari. Jlla est enim animorum parens, illa præstantissimorum ingeniorum creatrix: cujus dotibus quicunque liberaliter cumulati fuerint, eos in omni genere doctrinæ præstantes, et quasi divinos quosdam homines, vidimus, extitisse. At enim ejusmodi præcellentis ingenii viri, in omni memoria ætatum, temporum, civitatum, perpauci fuerunt: multo plures eorum invenies, qui, quod illis denegavit natura, indefesso labore pertinacique studio assequi conabantur. Jtaque, in quo illi naturæ beneficio excelluerunt, id hi patientia, et exercitatione, et assiduitate quadam videntur obtinuisse.

At mihi sæpenumero in summos homines intuenti, atque diligentissime investiganti, qui potissimum in omni studiorum varietate admirabiles extiterunt, ii cæteris præstare, atque omni-

bus anteire visi sunt, qui summum a natura ingenium sortiti, labore illud exercuerunt: deinde ii, qui minus celerem ac promptam animi vim diuturnis ſtudiis exacuerunt: ii veró, qui aut ingenio non multum valuerint, aut cum ingenio possent, laborem aspernati fuerint, nihil boni, nihilque præclari fecerunt. Quæramus igitur, quæ sit ingenii, quæ laboris in curriculo artium et scientiarum virtus: dein videamus, quanti tum sperandi sint in literis fructus, si utrumque simul, ingenium scilicet cum labore jungatur. Namque ego exiſtimo, omnibusque id probari volo, neque ipsi ingenio nimis fidere, neque vano, sine ingenio, labore consumi, sed utrumque simul sociando, in literarum ſtudia incumbere oportere. Atque hoc genus argumenti, quod in ſtudiorum ratione versatur, nec ab hoc loco et tempore alienum, nec veſtra sapientia indignum, Auditores Ornatissimi, hac solenni inſtaurandorum in Scholis studiorum die, pertractandum suscepi: ut Juventus magnis a natura facultatibus prædita, ad laborem, sine quo

nullus in literis fructus sperandus eſt, accendatur.

Ac primum, quid sit ingenium, quæ ejus virtus, quidque solum sine labore valeat, consideremus. Et ipsa experientia, et omnium doctissimorum virorum summorumque Philosophorum consensu docemur, eam generis nostri esse conditionem, ut omnium rerum ignari, in lucem prodeamus. Nihil enim tum novimus, nihil percipimus, nihil cogitamus: nullam rerum cognitionem, nullum de iis judicium habemus. Recte igitur ii, qui ſtudia sua, ad examinandas animi noſtri facultates, et originem cognitionum explicandam, propius adjunxerunt, sensisse videntur, qui animam noſtram, omnium rerum ignaram, tabulam rasam dixerunt. Verum cum poſtea usu et exercitatione inſtituti, quasdam rerum notiones acquirimus, deque iis cogitamus, atque judicium ferimus, ut ad hæc omnia certis quibusdam a natura facultatibus prædīti nascamur, necesse eſt. Namque si expertes, et omnium rerum ignari in lucem venientes; omni prorsus ad in-

vestigandam naturam habilitate careremus, profecto nihil unquam concipere, nullam rerum scientiam comparare possemus. At nemo, nisi injustus de natura conqueritur. Nam non solum hominem præclaro dono mentis ornavit, sed etiam sensus, tanquam satellites, et primos quasi scientiæ ministros adjecit, quorum adjumento, omnium rerum notiones, quas Græci ideas vocant, in animis nostris imprimuntur. Est enim admirabilis quædam inter sensus animosque nostros communicatio, ut quamvis duæ hæ substantiæ penitus natura differant, tamen quousque vita fruimur, nec corpus sine anima subsistere, nec anima, sine corporis sensuum adminiculo, facultates suas exercere possit. Atque hac sensuum animorumque conjunctione, mutuaque illorum inter se actione fit, ut quamvis omnium rerum expertes in lucem veniamus, tamen postea, ut dixi, usu et exercitatione instructi, et cognitionem rerum acquiramus, et eas memoria repetamus, et certam de iis sententiam judiciumque feramus: atque in hoc ratio consistit, seu ratiocinandi facultas. Quodsi ad hanc communem

omnibus opportunitatem felicior quædam sensuum cerebrique conformatio accedat, quæ vim sentiendi acuit et extendit, quæque animos, et ad excogitandum faciliores, et ad retinendum efficit firmiores, tum demum ſtudio et exercitatione excitata, nascitur illa mentis celeritas, ex qua summa et divina quædam ingenia proficiscuntur. En quid sint ingenia! en eorum originem e natura deductam! Etenim, cum omnes mortales ejusdem communis omnium parentis naturæ, liberi sint, eodemque divino spiritu animentur, quæ causa eſt, nec eadem omnes cogitationis vi, nec memoriæ facilitate, nec ingenii acumine, nec judicii magnitudine præſtare? Profecto sola conformationis diversitate, hæc infinita ingeniorum varietas explicari poteſt (a). Atque hæc ego ideo altius, et quasi a fonte repetenda exiſtimavi, ut liquide omnibus appareret, nihil nos amplius cum vita, quam facultatem sentiendi et cogitandi afferre, totamquè ingeniorum vim, in felici

(a) Lockius. Condiliacus.

quadam cerebri sensuumque conformatione consistere. Nam quod nonnulli Philosophorum docuerunt, animas nostras, aut rerum antiquarum recordatione scientiam haurire(b), aut cum quibusdam primis notionibus, quæ semina sint omnium reliquarum cognitionum, nasci (c), aut res omnes in Deo, velut in speculo quodam contemplari (d), jam dudum est doctissimorum hominum sententia refutatum atque eversum.

Quamobrem, cum ingenium ad omnes artes et scientias perdiscendas veluti quoddam instrumentum a natura datum sit, non vero ipsas artes et scientias procreare potest, cum omnes artes et scientiæ investigatione atque imitatione naturæ continentur, cumque etiam ii, qui summo ingenio præditi fuerint, prius omni studio sibi in investiganda et imitanda natura elaborandum censuerunt, antequam alii ha-

---

(b) Plato.
(c) Cartesius.
(d) Malebranchius.

rum artium parentes et procreatores extiterunt, alii eas auxerunt, alii expoliverunt; nonne hinc quisque cum labore ingenium conjungendum esse censere debeat, ut veram multiplicemque rerum scientiam consequatur? Nonne hi ſtultiſſime errare exiſtimandi sint, qui majus promptiusque ingenium adepti, laborem et ſtudium se negligere posse arbitrantur? Namque ingenium, quamvis summum et prope divinum sit, nihil solum sine labore percipere, nihil consequi poteſt; nullusque mortalium, omni ſtudio et labore neglecto, vi ipsius ingenii, universam rerum scientiam comparavit.

At quod potissimum omnes ad laborem accendere debeat, illud eſt, quod præſtantissima ingenia, sine exercitationis ſtudio, marcescere desidia, atque hebescere solent. Videmus communem omnium noſtrum parentem, naturam, optime de nobis mereri, videmus tot Adolescentes maximo ab illa ingenio ornari, omnibusque animi facultatibus liberalissime cumulari; paucos tamen videmus, qui cum se literis ſtudiisque

dederunt, magnum ex iis fructum, uti pro illorum ingenio sperandum fuerat, retulerint. Quid hoc rei eſt? Nonne laboris impatientia, nonne summa animi torpedo omnes in illis facultates extinguit? Illa, illa inquam, ubi animo insederit, maximam licet celeritatem ingenii hebetat, atque efficit eos, qui doctissimorum virorum seriem longius protrahere potuisent, ſtultorum infinito numero aggregari. Et ut ad vos Juvenes, quorum causa dictionem iſtam suscipio, orationem meam convertam, quæ causa eſt, cum et memoria, et ingenio multum excellatis, paucos tamen veſtrum uberiorem ex literis fructum reportare? Profecto non alia, quam quod non eo ad literas ſtudio incumbitis, quo debetis, omnemque laborem perosi, socordiæ Vos pigritiæque deditis. Ita fit, ut et magnas naturæ facultates misere negligatis, et nullum fructum ex ſtudiis laboribusque Magiſtrorum, in formandis educandisque ingeniis vestris referatis, et denique tam rudes persæpe, et rerum expertes, ex hoc literarum scientiarumque domicilio domos veſtras repetatis, quam ru-

des et omnium rerum ignari huc veniſtis.

Ac ne quis me ingenio detrahere putet, atque omnem in literis profectum labori ipisi tribuere, fateor Adolescentes magno ingenio præditos, parvo cum labore, plus in literis proficere posse, quam maximo ſtudio in iis elaborantes, sed minori vi ingenii, memoriæque facultate donatos: atque egomet ipse contendo, eos, qui ingenio suo confisi, levi duntaxat digito scientias attigerunt, nunquam multiplicem, eamque veram ac solidam doctrinam consequi posse. Libabunt equidem illi et Grammatices rudimenta, et Matheseos axiomata, et liberalium artium præcepta, deque iis aliquid disserere poterunt: sed hæc illorum scientia inanis atque irridenda eſt: quippe vera doctrina, non sola præceptorum cognitione, sed et juris scientia, et hiſtoriarum exemplis, et Philosophiæ inveſtigatione, et liberalium artium longo usu et exercitatione continetur. Et si ipsa literarum rudimenta, sine multo labore cognosci nequeant, quid in illis profectus? quid

perfectio et consummatio doctrinæ? Quamobrem vehementer isti falli censendi sunt, qui ingeniis suis plus æquo confidunt, et quod majorem a natura facultatem acceperunt, laborem et studium aspernantur.

Hanc opinionem meam de ingeniis parum labore exercitis, quo magis omnibus certam probatamque efficiam, indicandos hoc loci pessimos fructus censeo, quos ejusmodi præcocia, et sibi nimium confisa ingenia soleant parturire. Ac primum illud occurrit, homines falsa doctrinæ opinione imbutos, paucis acquiescere solere, totamque scientiam, non illius infinita prope varietate metiri, sed sui ingenii limitibus coarctare: nihil se nescire credere, omnibus de rebus garrire, scribere, disputare: prudentiorum consilia aspernari, semet ipsos, et solos quidem sapere, se doctos, se in omni genere doctrinæ versatos, se difficillimæ scribendi cogitandique artis Præceptores et Magistros prædicare. Hinc illæ perniciosæ opiniones nascuntur: quæ quantum hac ætate Religioni literisque de-

trimenti attulerint, neminem latere arbitor: hinc proficiscuntur illa falso et fucato quodam nitore colorata scripta, quæ ſi diligenter revolvas, nec in iis vim cogitandi, nec disponendi rationem, nec eloquendi artem, nec ſtili elegantiam, nec sermonis proprietatem invenies, sed centonem quemdam e multorum scriptorum libris compilatum consutumque judicabis; ex quibus tamen ineptiſſimi homines impudentissime gloriantur: hinc denique illa tumidissima Sciolorum secta erumpit, quæ suo judicio sapientiſſima, prudentiorum ſtultissima eſt. Sit sane sapiens, sit ſtulta, licet per nos: verum optandum summopere eſt, ne perniciosiſſima fiat: vigilandum, ne juventus ad imitationem compoſita, ea ſibi effingenda proponat, quæ omni ſtudio fugienda ſunt. Nam quanta ab hac superbissima Sciolorum secta pernicies literis immineat, Quintilianus testatur „Nihil eſt pejus iis (ait hic optimus „ docendi discendique Magiſter) nihil „ eſt pejus iis, qui paulum aliquid „ ultra primas literas progreſſi, falsam „ ſibi scientiæ persuasionem induerunt: nam et cedere præcipiendi peri-

„ tis indignantur, et velut jure quodam „ poteſtatis, quo fere hoc hominum „ genus intumescit, imperioſi atque „ interim sævientes, stultitiam suam per„ docent, eosque, qui plus honoris lite„ ris tribuerunt, ineptos, et jejunos, et „ trepidos, et infirmos, ut quoque ver„ bum contumelioſiſſimum occurrit, ap„ pellent " (e) Atque ex hac clarissmi viri sententia, tum etiam mea disputatione Juvenes colligere poteſtis, quantum vobis mali percimescendum ſit, quantumque vobiſmet ipſi nocetis, ſi nimium ingeniis veſtris confisi, laborem fugiatis.

Satis mihi de virtute ingenii in artibus et scientiis disseruisse videor, nunc pauca de labore dicenda sunt. Ea conditione procreati sumus, ut nihil ſine labore consequi valeamus: qui ut omnibus in rebus, tum etiam in artibus, et scientiis optimus et præſtantiſſimus Magiſter eſt: ipseque ait divini vir ingenii Tullius „ Non pos-

---

(c) Institut: Orato: L. 1.

„ sum non ingenio primas concedere; „ sed tamen ipsum ingenium diligentia „ ex tarditate incitat" (f). Quodcunque præstantissimum unquam aut vidimus, aut legimus, huic initium ingenium dedit, labor perfecit: Diligentiæ et assiduitati tot artes tot inventa debentur, ex quibus summi fructus in hominum genus redundarint: diligentiæ illa præclarissima opera, quæ nunquam satis admirari possimus: diligentiæ illa doctissima et laboriosissima scripta, quæ maxima ingenia perficere non potuissent, nisi cura et patientia firmarentur. Quodsi procreatio cujuscunque operis, sine labore fieri nequit, quid ejus ornatus? quid expolitio? quid perfectio? Et si quædam opera non multum inventione præstent, aut novitate delectent, tamen ipso labore satis commendata esse videantur. Neque hoc mihi prætereundum est, quod quotidiana docet experientia, non magni licet ingenii homines, summo cum sudore, ad magnam eruditionis doctrinæque laudem pervenire; quo et eos

---

(f) L. II. de Oratore.

eos qui plus ingenio valeant, ad laborem accendi, et qui minus possint, a studiis non deterreri oporteat. Nam quantumvis illis principia difficilia atque ardua sint, tamen spe fructuum, quos se relaturos certo sciant, in cursu laboris et studii corroborentur.

Atque dum tantum mediocritati tribuo, nolim existimari, id a me tarditati, et imbecillitati, et inertiæ, et stupiditati tribui. Nam ut ipsum ingenium sine labore, aut prorsus inutile, aut parum utile, esse contendi, idem de labore, quem ingenium non juvat, censendum puto. Etenim, quamvis natura in ornandis et dotandis hominibus liberalissima est, non omnes tamen videmus, excellentiori ingenio, præstantioribusque animi facultatibus cumulatos. Inveniuntur plerique, tam omni percipiendi et recordandi facultate destituti, ut quamvis summa contentione elaborent, nullum tamen laborum suorum fructum consequi posse videantur. Non quod prorsus obtusi imbecillique sint, sed quia in eo, quod majorem vim ingenii exigat, deficiunt. Talibus ipsa

natura ad omnes artes et sciëntias aditum interclusit. Quare istiusmodi homines, eo quod habent, contenti sint, neque ad altiora studia ambitione ducantur, quæ illorum facultatem excedunt. Quid enim ii studio ipso proficere possunt, cum nihil ingenio, nihil memoria valeant? quid eorum vigiliæ, quid diu noctuque suscepti labores prosunt, cum horum, quibus insudant, neque aliquid percipiant, neque recordentur? Nam ut sunt multi ita naturæ muneribus ornati, ut non nati, sed ab aliquo Deo ficti esse videantur, ita sunt quidam, sic omnibus facultatibus destituti, ut in doctorum numerum ullo modo venire non possint. Fateor ego, nonnullorum ingenia multo studio excitari, et eos, qui nullius facultatis ad artes censerentur, doctissimorum virorum gloriam consequi, evenire. Verum tamen ita existimo, si multis susceptis laboribus, nullum ex illis emolumentum capitur, nihilque repetitis studiis proficitur, tum demum literæ et scientiæ, a quibus ipsa arcet natura, meliori luto formatis hominibus relinquantur.

Venio nunc ad caput orationis meæ, atque contendo, tum demum maximos ex literis reportari fructus, cum labor ſimul et ingenium, felici quadam associatione, jungatur. Hic mihi de universo scientiarum orbe multa dicenda eſſent, hic a me longius explicari oporteret, quantum unaquæque laboris ingeniique deſiderat, ni bene mente, et apud quos dico, et quorum causa dico, tenerem. Etenim hi Ornatiſſimi atque Doctiſſimi Viri, quorum hic frequentiam intueor, suamet ipsi experientia didicerunt, quantum ſibi laboris in artibus et scientiis collocandum fuerat, cum maxima ingeniorum celeritate. Vobis, Adolescentes, quos semper in cursu ſtudiorum ad laborem hortari solemus, satis hic erit brevibus commonſtrare, quantum a vobis diligentiæ et assiduitatis hæ liberaliſſimæ artes exposcunt, quibus veſtra ingenia inſtrui ornarique velitis.

Ac prima ſiſtit se se Grammatica, quæ artem bene loquendi scribendique commonſtret. Nolite, nolite exiſtimare Juvenes, parvam hanc esse sci-

entiam, nolite credere, sola explicatione et constructione verborum contineri. Longius illa se se, communi vulgi opinione, extendit. Illa clare et lucide explicandorum animi sensuum rationem tradit, illa prima artis cogitandi jacit fundamenta, illa ad artem bene dicendi disponit, justeque a præclaro suo in lingua nostra Autore mater et altrix reliquarum scientiarum appellatur. Creditisne eam a vobis, sine ullo labore, percipi posse? Ego vero existimo, tanto magis vobis insudandum esse, quanto minus ingenio, in hac juvenili ætate, potestis. Sequitur morum doctrina, cujus præcepta diligentissime animo defigenda, sanctissime in vita colenda sunt: hanc non in eo positam esse existimatote, ut bene de justo et injusto, de honesto ac turpi, de malo ac bono disseratis, sed ut cognitis recti honestique præceptis, æquitatem et justitiam amplectamini, malitiam, vim, turpitudinem, fugiatis. Quid vero dicam de Historia, quæ tam late se se diffundit, atque omnium ætatum populorumque vicissitudines, resque gestas comprehen-

dit? quæ originem societatum describit, tum quibus belli pacisque artibus civitates floruerint, quibus vitiis desederint, quibus remediis consurrexerint, quibusque malis occiderint, exponit, atque omnis exempli documenta, in illustri posita monumento, ostendit? Quid de juris cognitione, cujus sanctionibus, et omnes civilis vitæ rationes, et regendarum civitatum artes innituntur? Hæc scientia uti cuivis libero et ingenuo summopere necessaria est, ita in hac præsertim ejus mole et varietate, sine summo studio, comparari nequit. Et ut ad sublimiores disciplinas accedam, quantum ingenii et studii Mathesis desiderat, quæ in tanta subtilitate rerum versatur? quantum Metaphysica, quæ tam obscuram, tam difficilem, tam a communi sensu remotam scientiam profitetur? quantum Physica et Logica, quarum ab altera leges naturæ, ab altera facultates animi explicantur? Quantum denique princeps omnium artium Eloquentia, in qua nemo excellere potuerit, nisi qui fuerit omnium rerum magnarum sci-

entiam consecutus? Leviſſima omnibus forte videtur Poeſis: ipseque dixit Tullius, cæterarum rerum ſtudia doctrina et præceptis conſtare, Poetam natura ipsa valere, et mentis viribus excitari (g). At mihi quidem videtur, neminem in hac quoque arte magnum nomen obtinere posse, niſi, dum spiritu et mente ardeat, naturam ipſius artis probe cognoſcat, laboremque summum, in expoliendo ornandoque versu, adjungat. Videtis igitur palam, Juvenes, nullam esse artem, quæ omni ſtudio neglecto, sola vi mentis et ingenii, percipi poſſit.

Quid igitur vobis faciendum, quæritis? Labori, labori inquam vos dedatis, nullisque vos difficultatibus, nullis incommodis, a studio artium avocari abſtrahique ſinatis. Si illud verum eſt, nihil in rebus humanis esse tam difficile, nihil tam arduum, quod aliquando diuturnus et pertinax labor non vincat; quanto iſtud verius, ni-

(g) Oratio pro Archia Poeta.

hil esse in artibus et scientiis tam sublime, nihil tam excelsum, ad quod labor summa adjutus industria, et cum felici ingenio conjunctus pervenire non possit. Complectamur omnem tam antiquiorum, quam recentiorum temporum memoriam, videbimus eos maximum lumen artibus et scientiis attulisse, qui magno ingenio a natura præditi, in ſtudiis suis laborem cum ingenio conjunxerunt. Non opus hic esset, longam doctissimorum hominum seriem enumerari, qui veſtram eruditionem non fugiunt Auditores Ornatiſſimi, si vobiscum ipsis hanc disceptationem susciperem. Verum cum Juventutis causa dico, proferam in medium eorum nomina, ut hinc acrioribus ad laborem calcaribus ſtimuletur. Nihil enim vehementius animos ad ſtudia literarum accendit, quam cum doctiſſimorum Virorum imagines ante oculos habeamus, qui omnium gentium, omniumque ætatum homines doctrina scriptisque suis illuſtrarunt. Vos ego hic appello ex Græcis, Homeri, Demoſthenes, Platones, Archi-

medes; ex Latinis, Tullii, Livii, Taciti, Virgilii; ex Italis, Tassi, Galilei, Metastasii; ex Gallis, Cornelii, Rassini, Bossuetii, Fenelones, Montesquii; ex Anglis, Suitii Nevtones, Lokkii, Humi; ex Germanis, Leybnitii, Wolfii, Gesneri; ex Nostratibus (namque nos non minori copia ornatissimorum Scriptorum, atque eruditissimorum Virorum abundamus) Cochanovii, Orichovii, Cromeri, Copernicii, Hosii, cæterique innumeri; quorum alii Poesi, alii Eloquentiæ, alii Historiæ, alii Mathesi, alii Philosophiæ, summum lumen affudistis, doctissimisque scriptis immortalem vobis gloriam peperistis. Certe non alia vos ratione, tantam rerum scientiam, tantam perfectionem doctrinæ consecuti estis, quam quod maximo ingenio præditi, laborem cum illo conjunxistis.

Sed quorsum ego hæc antiqua, atque externa commemoro? Respicite, Juvenes, PRINCIPEM Nostrum omni genere doctrinæ Ornatissimum, respicite hunc gravissimum prudentissimorum

Virorum cætum, qui modo gubernacula Reipublicæ obtinet respicite hanc præſtantiſſimorum Scriptorum copiam, qui Principis Sapientiſſimi exemplo præmiisque incitati, ad tantum gloriæ faſtigium rem noſtram literariam provexerunt, atque hinc ad amorem ſtudii laborisque feramini. Nam et hic PRINCEPS, qui omnia scientiæ perveſtigatione comprehenderit, nunquam ad tantam rerum scientiam pervenisset, nisi divino ingenio suo laborem et ſtudium adjungendum putasset; et hi præſtantiſſimi Viri, nunquam tantam eruditionis prudentiæque laudem obtinuissent, ni ſibi iisdem laboris assiduitatisque insiſtere veſtigiis, necessum judicavissent.

Quamobrem pergite Adolescentes, atque in ſtudia literarum, in quibus eſtis, omni contentione incumbite: neque vosmet ipsos maximis ex literis utilitatibus fruſtrari patiamini. Nam cum ingenium a natura proficisci, laborem autem et ſtudium ab uniuscujusque voluntate pendere certum ſit; certum quoque eſt, eos qui magno in

genio donati, laborem fugientes, exiguos ex literis reportant fructus, non naturam incusare, sed suam socordiam et ſtultitiam inculpare debere. Non enim illis naturæ beneficium defuit, sed abjectissimi homines sibimet ipsi defuerunt. Cavete, ne nimium ingeniis veſtris fidatis. Jngenium etenim primum quasi discendi inſtrumentum eſt, verum ipsa doctrina eſt in cura, vigilantia, assiduitate, labore. Hic colendus eſt vobis, hic semper adhibendus, hic nihil eſt, quod adjutus ingenio, non assequatur. Jtaque hoc semper vobiscum reputate, neque ipso ingenio, neque ipso labore veram multiplicemque doctrinam obtineri: sed tum in artibus et scientiis plurimum vos profecturos, exiſtimate, cum ingenio laborem conjunxeritis.





